



J a b r e s b e r i c h t

über das

Königliche Gymnasium zu Rastenburg

für das Schuljahr von Michaelis 1836 bis dahin 1837

womit zur

ö f f e n t l i c h e n P r ü f u n g d e r S c h ü l e r

am 2ten und 3ten October

und zur

feierlichen Entlassung der Abiturienten

am 3ten October Nachmittags 3 Uhr

die Eltern und Pfleger der Schüler und die Gönner und
Freunde des Schulwesens

einladet

J. W. G. Heinicke, Director.

Vorausgeht eine Abhandlung des Oberlehrers Fabian: *De censura morum*
particula.

Rastenburg, 1837.

Gedruckt bei August Haberland.

Verlag

1837

Verlag des Verfassers zu Gießen

Verlag des Verfassers zu Gießen

1837

Vertrag

1837

Vertrag des Verfassers zu Gießen

1837

Vertrag des Verfassers zu Gießen

Vertrag des Verfassers zu Gießen

Vertrag des Verfassers zu Gießen

Vertrag des Verfassers zu Gießen

1837

Vertrag des Verfassers zu Gießen

Vertrag des Verfassers zu Gießen

1837

Vertrag des Verfassers zu Gießen

Vertrag des Verfassers zu Gießen

C. I.

De censura morum locus semper mihi visus est et ad res Romanas illustrandas uberrimus, et ad propriam populi Romani indolem adumbrandam locupletissimus. Quem cum doctorum hominum cultura per multos annos derelictum vidissem, eius me retractandi e tenebrisque educendi cepit cupiditas. Inde studia mea, diuturno oculorum morbo saepius repressa, occupationibus scholasticis, quibus nihil unquam mihi fuit antiquius, intermissa, parco otio subinde repetita, in hanc potissimum antiquitatis Romanae contuli partem, qua quidem eruta ceteris lucem mihi affulsuram sperarem. Quodsi iam nunc hanc materiam diiudicandam ingressus sum, ut eam esse satis excussam et nullis difficultatibus obstructam putem, tantum abest, ut sola necessitate adductus, ne in tempus incertum rem procrastinare videar, subierim onus grave, tanquam exordium magni moliminis auspicaturus. Quamvis autem extremam scriptioni huic deesse manum confitear, haud scio tamen, an operae pretium facturus sim, sive scribendo vires mihi ipsi accesserint, ut novo postea impetu plus valeam cursu, sive doctiorem aliquem excitavero, qui maioribus et ingenii et doctrinae et librorum subsidiis instructus suscipiat rem gravem et pro dignitate exornet.

Quocirca quoniam partem operis seiungere in animo est, non a principio evector sum, quod rerum originibus ut vulgo, ita hic maxima est offusa caligo, sed in medias me intuli res, saeculum reipublicae Rom. liberae ultimam perillustraturus quaestione posita, quanti illis temporibus censura momenti fuerit ad morum integritatem totiusque civitatis disciplinam vel conservandam, vel emendandam et revocandam. Quem finem ut assequar, singulas censuras inde a censura Scipionis Africani minoris percensere, et quid quaeque effecerit et efficere potuerit, ponderare libet.

C. II. Anno 142 a. Ch. n. Publ. Corn. Scipio Africanus Aemilianus deiectione App. Claudio Pulchro competitore cum L. Mummius Achaicus censor est factus. Qui viri, trium imperii Romani aemularum artium disturbatores, tantis sunt rebus gestis clari literisque antiquis ita nobilitati, ut his relatis viris

doctis ex scholis cantilenam repetere videremur. Hinc Sigonius in illo de fastis consularibus commentario nullam censuram posteritatis memoriae maioribus commendat laudibus, quamquam magis Scipionis auctoritate subnixus, Mummi moribus adeo perstrictis. Etenim istum Scipio ita contempsit, ut, cum in dedicatione aedis Herculis epulum lautum apparavisset, Mummi non invitaret, et eius segnitiam notans pro rostris, se ex maiestate reipublicae omnia diceret fuisse gesturum, si Quirites sibi collegam vel dedissent, vel non dedissent. (Val. Max. VI., 4, 2. Cf. Festum sub voce religionis de Mummi.) Scipio igitur in censura multos ignominia dicitur notasse. Iuveni cuidam auctore Plut. in apophtheg. equum ademit, quod, cum opipare epularetur, quo tempore Carthago oppugnabatur, libum urbis Carthaginis instar sodalibus diripiendum dedisset, ipsumque, ut iuveni quaerenti respondit, in expugnanda Carthagine antevenisset. Iste num Gallus fuerit, an, id quod Sigonius coniscit, Asellus, an neuter horum, parum constat. In Publ. Sulpicium Gallum quidem (Gell. VII, 12), hominem delicatum, compluria probra Scipio conegessit, unguentatum, vinosum, virosam, cinaedum nuncupans. In Tib. Claudium Asellum coram populo sponsionem fecit, ni patrimonium in scortis et flagitiis absumsisset, et ni nequitiae par in eo esset malitia (Gell. VII, 11, 9). Unde Pighius non prorsus recte contendit huius notae causam non proditam memoriae esse. Hunc equo ademito a Scipione in aerarios esse relatum, sed a Mummi statim ex aerariis exentum Cicero testatur de orat. II, 66. Addendum, Scipionem notati cognomen cavillantem non sine multorum risu, ut asellum deinceps ageret, pronunciassse. Quae vox altius in Aselli animum penetravit. Quare postea infestus tribunus plebis (139 Pigh.) die dicta tam ferociter Scipionem insectatus est, ut ille quinta in Asellum ad populum oratione se defenderet (Gell. II, 20, 6) Ellendt. ad Cic Brut. p. XXX. hunc locum illustraturus redarguere studet Pighium, oratione illa quinta vel Africanum sese defendisse ad populum censentem, vel in censura Asellum accusasse. Illud parum esse verisimile; hoc autem iam per se magis Catonianae severitati aptum quam elegantiae Scipionis; utique si quinque orationes censorem in unum hominem nequam habere non potuisse animadvertas Sponsione illa Africanum usum, ut inimicum ad populum criminando adduceret. Sed virorum doctorum res non eget suspicionibus et opinionibus, ut quae testimoniis sit firma. Gellius III, 4, scriptum esse dicit, Scipionem, postquam cen-

sor fuerat, diem dictam esse ad populum a Claudio Asello, tribuno plebis, eumque, cum esset reus, neque barbam desisse radi, neque non candida veste uti, neque fuisse cultu solito reorum. Ergo fuerat censor, et per aliquod tempus reus factus est. Deinde Gell. VII, 11. plane: P. Africanus pro se, inquit, contra Tib. Asellum de multa ad populum sponsonem fecit. Talis igitur accusatio tribuni improbi, irati ac pervicacis singulis diebus propelli nequit, atque Scipio se defendens, vel potius se non defendens oratorum usus artificio adversarium criminationibus in populi invidiam adducit. Iam notas ceteras persequamur Scipionis censoris. Qui tribu movit centurionem, quod in Paulli patris pugna non affuerat, et cum ille se custodiae causa diceret in castris remansisse, quaerenti, cur notaretur: Non amo, inquit, nimium diligentes (Cic. de orat. II, 67). Centurias autem recognoscens equitum, cum C. Licinius Sacerdos citatus processisset, clara voce, ut omnis concio audire posset, se scire dixit, illum verbis conceptis peierasse. Si quis contra dicere vellet, usurum esse eum suo testimonio. Sed nullo accusante: Traduc equum, inquit, sacerdos, ne in te et accusatoris et testis et iudicis partes egisse videar (Cic. pro Cluent. 48. Val. Max. IV, 1, 10. Plut. in apophth.) Praeterea Pighio hi censores aliquid de rhetorum scholis videntur edixisse secundum Cic. de rep. V.

Atqui Scipio praeterquam quod cum a ceteris scriptoribus, tum a Cic. in Brut., in illis de republ. libris etc. ita omnibus est laudibus cumulatus, ut virtutis imperatoriae, prudentiae civilis, literarum abundantiae et urbanitatis facetae quasi speciem et effigiem referret, ne quid magistratus angustissimi magnificentiae deesset, censor etiam gravi oratione populum ad maiorum instituta et priscam simplicitatem recocavit (Gell. IV, 20. V, 19. extr.), idem ille, cum in lustris condendo, de qua re scriptoribus dissentientibus v. Pigh. interpretationem, scriba ex publicis tabulis sollemne ei precationis carmen praeiret, quo dii immortales, ut populi Rom. res meliores amplioresque facerent, rogabantur: Satis, inquit, bonae ac magnae sunt. Itaque precor, ut eas perpetuo incolumes servent. Ac protinus in publicis tabulis ad hunc modum carmen emendari iussit, quod avidum esset quidquam ultra appetere. Qua votorum veracundia deinceps censores in condendis lustris usi sunt (Val. Max. IV, 1, 10). Verum enimvero tali ac tanto homini si quid detracturus sum, ne ut nitedula quaedam reipublicae columen arrodere et laureolam e mustaceo quaerere dicar, condolere me confiteor, quod natura nihil tulit omnibus numeris expletum,

praesertim in civitate morum labe adpersa. Nam ultimae laudes, quae, si verae essent, Scipionis gloriam consummarent, non omnino sunt integrae. Res satis bonae ac magnae, avidum quidquam ultra appetere. Bella sententia, ceteroquin etiam vitae continentia adiuta, sed hac ipsa in re Scipionis exemplis refutata. Cum vero exemplis plus valeamus quam verborum captionibus, tota illa laus perit, quia, quas ad res cives vocavit Scipio, eas non complexus est ipse. Paucis annis ante Carthaginem foede exciderat, paulo post Numantiam aequae foede solo aequavit, itaque duorum populorum nervos elidit potentissimorum, et salutem substravit Romanorum libidini. At a populo iussus Carthaginem exstinxit, ruinisque urbis hostilis illacrymavit. Videlicet ut Caesar caput Pompeii adspicere non sustinuit, totam rempubl. susque deque habere sustinuit. Atque libens Scipio ut Romanus belli gerendi opportunitatem arripuit, malumque, quod in venis reipublicae fuit inclusum, cuius contagione gens validissima diu labefactata tandem est perversa, imperandi cupiditatem non repressit, sed adauxit, eodem, quo populares, furore agitatus. Carthaginem enim, mutuis odiis inimicissimam, opibus formidolosam, iuvenis ex senatusconsulto disturbavit; Numantiam vero, victoriis non ferocientem, generosam civitatem, pace fraudulenta circumventam (Scipio ipse male audit, quod non studuisset, ut pactiones Numantinorum ratae fierent. Plut. Tib. Gr. c. 7.), iam aetate proventus¹⁾, arbitrato suo²⁾, votorum formula in censura mutata stirpitus delevit. Adde, quod Luliae iuventutem Numantinorum rebus propensam comescnit quadringentorum manibus amputatis. (App. p. 529). At vero Cicero Scipionis exoritur patronus, Carthaginem et Numantiam iure funditus sublatis esse contendens de offic. I, 11, 12. Incolas fuisse immanes, foedifragos. Rectius et meritis ista crimina in Romanos revolvuntur, quorum animi impenosa saevitia ita erant imbuti, ut in colluvione rerum ne philosophus quidem ipsorum verum dispiceret taetraque facinora nomine Romano digna iudicaret.

- 1.) Appianus de bello Hispan. p. 515 Scipionem narrans, cum infra aetatem consularem esset, legibus esse exemptum, falsus est. Quippe Scipio iam ad Pydnam 168 militabat, et 147 consul aetate creatus est aedilicia, ut in bellum Numantinum a. 134 proficisceretur fere quinquagenarius. Abrogata potius est lex, ne quis iterum consul fieret.
- 2.) App. p. 532: sive ipse credidit e republica esse, sive ira praeceps saevit, sive, ut nonnulli arbitrantur, gloriam speravit permanaturam per orbem magnis calamitatibus paratam.

(Cf. de Romanorum imperii honorumque aviditate fere omnia, quae consequuntur, capita, quibus accedent alia, nondum edita, imprimis c. de censoribus 3. 115.) Hoc stabilito ad illam laudem transeamus, qua Scipio censor populum ad maiorum instituta et pristinos mores traducere conatur. Sed utut ille abstinencia et frugalitate pro illis temporibus fuit insignis, in summa tamen rerum deliquit, nec malorum fontem in rempubl. redundantium vidit. Nobilitatis enim imperandi libidinem, divitiarum famem, cetera vitia ut exteris nationibus funesta, ita civibus exitiosa esse non animadvertit, ipse morum demutatione non intactus. Divulgatum est Africani, a C. Carbone, tribuno plebis, pro concione de morte Ti Gracchi interrogati, responsum, si is occupandae reipubl. animum habuisset, iure caesum, quod responsum Ellendtius ad Brut. p. XXXV. magnitudinem animi vocat, secutus Vell. II, 4. Cic. Milon. 3. Val. Max. VI, 2, 3. De Cicerone postea, ubi de Scauro c. VII. disseremus compluribus. Valerius vero ubique potentiae est assentator, nec dissimilis Velleius, qui adeo se ipse illo refellit loco, ita perorans, tanquam acerbissimis clientes suos lacerare vellet conviciis. Hoc initium, inquit, in urbe Roma civilis sanguinis gladiatorumque impunitatis fuit. Inde ius vi obrutum, potentiorque habitus prior, discordiaeque civium, antea conditionibus sanare solitae, ferro diiudicatae, bellaque non causis inita, sed prout eorum merces fuit etc. Quas turpitudinis notas ut optimatibus inuramus, eosque ut patrociniis altissimis denudemus, paulo altius repetendum est. Magnorum exercituum duces, in imperiis iam adolescentibus commorati, soleut illi quidem concionum licentiae rationisque reddendae impatientes esse fovereque procerum auctoritatem avitam etiamsi iniustam. Ita Scipiones Paullique in petendis quidem magistratibus aura populari captata evecti sunt ad honorum fastigium (Plut. Paull. c. 38.), sed evecti ingeniis fastu quodam tumentibus sunt segregati a populi ratione. Africanus enim maior, cum a M. Naevio, tribuno pl., largitionis accusaretur, tribuno relicto concionem ad deorum templa secum abduxit, et cum Poetili pecuniae Antiochinae praedaeque rationem reposcerent, ille coram senatu rationum librum suis manibus disciplit et concersit. Quomocumque laudant antiqui (Liv. XXXVIII, 51. Gell. IV, 18.) nostratiumque viri docti, equidem reprehendo virum sane magnum, maiorem etiam futurum, si ex legibus agere pargareque se voluisset. Vere addit Liv. c. 52: maior animus et natura erat ac maiori fortunae assuetus, quam ut reus esse sciret et submittere se in humilitatem causam

dicentium. Item Aemilius Paullus eximio plebis favore elatus, tamen consecutus nobilium instituta, primis semper et optimatibus adnumeratus est consiliis suis (Plut. Aemil. Paul. c. 38). Iam Scipio Aemilianus continuatis magistratibus imperiisque duobusque reipublicae terroribus sublatis qui ferre potuit tribunum, plebeculae egenae tutorem, multa novantem, totum reipublicae statum rapientem, nobilitatis maiestatem atque excellentiam imminuentem? At enim nobilitas ista iam fuit corruptissima, atque respublica ita aegra, ut consuetis remediis sisti nequiret. Inde ipse Laelius, Scipioni amicissimus, humilium sorti subveniendum acrioribus praesidiis putavit (Plut. Tib. Gracch. c. 8). Sed principibus reclamantibus tumultu illico timefactus, quia a conatu refugit, vocatus est Sapiens. Atqui si quod fuit tempus aequandae rursus libertatis sanandaeque civitatis, haud scio, an illud fuerit aut Gracchi, qui Laelii prudentia, Scipionis gravitate et auctoritate sublevatus maiorem fortasse optimatium partem in suas rationes perduxisset, novaque civitati firmamenta adiunxisset. His adminiculis nisi esset ille dimotus, certo nunquam Scipione absente res esset molitus novas. Forsitan quispiam dixerit, eam ipsam Laelii (et Scipionis, qui in republ. administranda ab amico non discreparit, idque ante censuram,) fuisse sapientiam, quod viderit, quo haec consilia forent eruptura nobilitate minus tractabili, quam ne cum Scipione quidem omnipotenti sociatus, ut de iure suo ut iniquo, ita inveterato decederet, pellicere potuisset. Ipsi potius infectis rebus, si non conturbatis, de gradu essent depulsi. Haec posita documento essent certissimo nobilitatis prorsus depravatae, suis commodis aequitatem communemque salutem posthabentis, essentque excusationi Tib. Graccho, cuius instituta, quamvis saluberrima fuissent, nunquam ad exitum essent adducta, quod primores civitatis iuris licentiam mordicus tenebant volebantque immota cuncta. Tib. Gracchus nobis quidem proposito sanctus, rerum initiis more Romano modestus, qui temperatior etiam factus esset, nisi, quos vocabant bonos et optimos, pervicaci consensu non concordēs, sed quasi contra republ. coniuratos vidisset, adversariorum contumacia in praecipitia adactus, iuvenili fervore animo nondum satis confirmato in iras coniectus reipubl. gubernatori inhonestas, ad actiones calidiores quam cautiores delatus, immatura denique morte foedatus. Ut concedamus vobis in alia omnia abeuntibus, quae tamen concedi nequeunt, totam disputationem nostram esse vanam, in Graccho pleraque et tantum non omnia fuisse intempestiva et praepostera; tamen eius caede nihil est violentius.

nihil taetrius. Tribunus plebis cum in eo esset, ut cum patribus modo non prorsus iniquis in gratiam rediret, cum conditionibus disceptari vellet, a privato consule renitente nefarie cum multis sociis est obruncatus, et in corpora etiam saevitum. Ergo Scipionis illud dictum, iure caesum videri, atrox, atque nobilitatis patrociniū iniustum. Sequitur, ut Scipio, quaque fuit integritate, tamen ambitione ductus, cum ordinis sui corruptelae mederi nollet, in summa rerum gerenda deliquerit, et nec omnino, nec censor malorum maximorum stirpem extrahere potuerit. Malum omen, si censorum summus iam onerifendo quodam modo fuit impar. Attamen cum hominem illum magnitudinem non illibatam ad maiores detulisse dicimus, verum esse contendimus Romanum, a Romanis illius aetatis vitiis non prorsus immunem, censurae decus tragicis sustententem virtutibus.

C III. A. 136 censores Q. Fulvius Nobilior et App. Claudius Pulcher? aut T. Annius Luscus? Primum notandum, censuram non fuisse anno proximo priore, sed ad sextum annum esse reiectam. Ab anno a. Ch. n. 214. usque ad annum 154. censurae suo quaeque anno secutae non interrupto tenore vim addidere censoribus, ipsis honestate et granditate praecellentibus. Iam tunc identidem 147 pro 149, 136 p. 137 retardatae, abdicatae et renovatae 126 et 125, 109 pro 110, rursus 108, 102 p. 103. Cuius rei causae etiamsi nonnunquam fuerint leviores, ut esse potuerunt et scimus fuisse 109, quo anno censore altero mortuo 108 creati sunt alii, tamen indicia subesse morum ad deteriora inclinatum verisimile est. Namque censurarum seriem ab anno inde 92 plane inconditam constat natam esse e rebus perturbatis, quibus ut occurrerent censurae tantum abfuit, ut earum splendor sensim pedetentimque obrueretur, vixque altitudinis umbrae et imagines relinquerentur. Subsequuntur annis 92, 89, 86, 70, 65, 64, 61, 55, 50. De anni 136. censura ita sunt omnia tenebris obvoluta, ut, qui fuerint, adhuc sub iudice lis sit. In fastis Capitolinis nomina censorum eius anni non sunt abolita, ut Drumannus loco infra citando dicit, sed paene abolita. Restat sola syllaba OR, e quo et tranco Festi fragmento, in quo legitur . . . Q. Fulvi No, Sigonius eruit Q. Fulvium Nobiliorem. Quam coniecturam sic amplectuntur viri docti, ut in fastis Capit. nuper editis Laurent nomen plene scripserit ne lacuna quidem indicata. Ei subiecit Sigonius App. Claud. Pulchrum, quia superiore lustro censurae honore deiectus, a Plutarch. Tib. Gr. c. 4. consularis, censorius et princeps senatus appellatus,

atque ante C. Tuditanum consulem, i. e. ante a. 129. mortuus esset, ut, nisi hoc eum anno censorem statueres, quo anno fuisset, non reperires. Quem Pigh. dicit non temerarium, sed bonis impulsum rationibus. Tamen dubitat Drumann. in Romanorum historiis II, p. 181 alio anno non significato, adeo substituit I, p. 41. T. Annium Lusum, non dubitat Laurentius, qui p. 43 cum Q. Fulvio Nob. praepropere App. Claudium Pulch, Sigonio, ni fallor, fretus, consociat. Quamquam apud Festum (Corpus grammat. Latin. ed. Lindemann. p. 235.) sub voce religionis extrema cognominis syllaba — ci, si est firma, nec orta e — cri (Pul — cri) videatur indicare Lusum cum eodem Fulvio iam consulem a. 153 a. Ch. n. Quapropter constituto, T. Ann. Lusum censorem fuisse, licet dubitare de App. Claud. ut huius anni censore, et coniectura nobis informare, alterum in annum superiorem 137 esse reiciendum, qui annus est quintus a censoribus Scip. et Mumm., eique collegam adhuc esse quaerendum.

Quoniam igitur censoris huius lustris alterius ne nomen quidem sit stabile, cur res gestae parum sint cognitae, perspicitur. Utercunque horum censor fuit, censura laborabat. Nam personam seu censurae seu Scipionis innocentiae vitae magnificam (videlicet me conformo in Romanorum iudicia) tueri potuit neuter. T. Annium Lusum iam non hanc ob causam carpo, quod Tib. Gracchum oppugnauerit. Paene cum lacte nutricis saepius sugimus errores, et summa opinionum pravitate optimi quique a natura desciscunt (Cf. c. II. extr.). At Tit. Annium Plut. Tib. Gr. c. 14. vocat hominem oratione et auctoritate Tib. inferiorem, nec aequitate, nec temperantia commendatum, sed interrogationum et responsionum argutiis invictum. Cf. fragm. Festi sub voce saturae. Pighius III, 4. Gracchi inimicum statuit esse praetorem a. 133., huius filium, contra quem Drum. loco laudato. App. vero Claudii vitam Drum. II, 180. antiquorum locis congestis ut luculentis, ita acerbis verbis comprehendit. Strabo IV, 205. ducibus scribit Romanis, qui in Galliam mitterentur, causas belli cum Salassis gerendi ob aurifodinarum possessionem nunquam defuisse. Orosius V, 4., ipse sane amaritudine in Romanos refertus, sed aliis testibus adiutus, App. Claudium prodit, consulem 143 a Salassis victum decem millia peditum amisisse, quem numerum Pigh. librorum errore earpto mutat in quinque millia causis non additis, reparata pugna quinque millia hostium cecidisse. Triumphum propter damna superiora cum non impetrasset, infami impudentia atque am-

bitione usum privatis sumtibus triumphasse. Quod ne interpellaret tribunus pl., Claudia filia, Suetonio soror, Vestalis virgo, triumphantem adscenso curru in Capitolium duxit, quod factum Val. Max. V, 4, 6. Cic. pro Coel. 14. amplissimis laudibus dignum arbitrantur. Quae opinionum perversitas! Hinc a Scipione a. 142. censura est deturbatus, sed postea, nescio an hoc anno, a populo creatus censor. Iam patet, sive T. Ann. Luscus, sive App. Claud. Pulcher censor fuerit, civitati aegrotanti curationem admoovere ancipitem, atque ut audacia munus tetricum sustentare, ita civibus quasi vitam suam praeferre ut legem neutrum potuisse. Q. autem Fulvium Nobiliorem, Sigoniana argumentatione iam in hoc anno 136. censorem defixum, non increpauerunt illum quidem admodum scriptores ut moribus infectum, sed describunt ut ingenio mediocrem. Ciceroni in Bruti c. 20. non indisertus ut T. Ann. Luscus, Appiano auctore in Hisp. p. 472 — 474 consul missus in Celtiberos bis ipse, tertium duce Biasio parum feliciter pugnavit bello impar. Serv. Galbam inhumani perfidia in Hispanos grassatum a L. Scribonio, tribuno plebis, accusatum Q. Fulv. Nobilior in senatu defendit, hanc ob rem saepe a Catone laceratus. Liv. epit. 49. Ellendt. Brut. XXXI. Qualis morum custos, qui tam facinorosum totius populi percussorem commiseratus aliquid ad eam flamma eripiendum confert! Festi ergo locus supra laudatus cum apud Lindemannum p. 235. lacunis expletis legatur: Sed et Q. Fulvi Nobilioris et eius collegae. T. Anni Lusci fuit nobilissima censura: nobilitati tribus notis iniustus severissimis; nec affirmare, nec repugnare ausim libris ad illa tanquam obrussa examinanda non suppetentibus.

C. IV. A. 131. illustris est censura Q. Caecili Metelli Macedonici et Q. Pompeii, Anli fil., et quod fama nominum et auctorum copia vident, et quod fortunae fulmine quin Metellus in gloriae fastigio percelleretur paullum absuit. Multos de Metello locos collegit Drum. hist. Rom. II, 20, 21. Atque elucet in illo viro tam variae et grandes virtutes, fortunae etiam beneficio decoratae, ut haec contuiti admiratione merita teneamur, et felicitatis praeconium scriptoribus quodam modo ignoscamus. Rei militaris fuisse scientissimum, indicat eognomeu Macedonici, indicat victoria de Graecis relata, indicant res in Hispania cum fortiter, tum genere gestae, ubi milites stationem apud Contrebian modo desertam desperatione vitae repetere et capere cogit, ubi callido Contrebian expugnat artificio, ubi plura etiam oppida humana in Rethogenem Centobricensem clementia in populi Romani fidem accipit. Vell. II, 5. Val.

Max. II, 7, 10. VII, 4, 5. V, 1, 5. Nam cum Rethogēnis, qui ad eum transierat, filios Centobricenses (Florus II, 17 urbem appellat Nertobrigam) machinae ictibus obiecissent, ne pueri in conspectu patris crudeli genere mortis consumerentur, etsi Rethogene ipso reluctantante ab obsidione discessit. Attamen inquinati sunt eius mores inani ambitione et in principes gratia pollentes aemulatione. Acres sane, sed non innocentes, ut apud Vell. I, 11. legitur et apud Ciceronem saepius, pro republica, cum inimicis suscepit contentiones. Etenim querimonia de illa in Africanum inimicitia nos pungit (Plin. hist. nat. VII, 45 [44]). Valerius autem (IV, 1, 12) ab aemulatione virtutis perfectam dicit certationem, ad graves testatasque inimicitias progressam, morte demum Africani depositam esse. In Pompeium vero foede irae indulsit. Quem inimicum postquam successorem sibi in Hisp. mitti cognovit, (Val. Max. IX, 3, 7) omnes, qui modo militiam suam voluerunt finire, dimisit, commeatus petentibus dedit, horrea opportuna rapinae praebuit, arcus sagittasque Creten-sium frangi atque in animum abici iussit etc. Sed quantacunque fuit ista honorum contentio malevolaque obtrectatio, proxime tamen Metellus ad Africani magnitudinem accedere videatur. Contra in Q. Pompeio non simplici conflictamur delicto, sed duriore utimur fortuna. Quamquam ne is quidem ingenio infimus. Qui, humili atque obscuro loco (Cic. pluribus locis, ut I. XII. ad Attic., pro Mur. etc.) et Plutarcho in apophth. 200. auctore tibicine natus, non contentus orator temporibus illis, summos honores homo per se cognitus sine ulla commendatione maiorum est adeptus (Cic. Brut. c. 25.) Atqui moribus exploratis sibi non constat. Namque Cn. et Q. Serviliis Caepionibus et fratribus Q. et L. Metellis consularibus et censoriis in repetundarum reum (a. 138. Pigh.) acerrime testimonium dicentibus Q. Pompeius evasit quidem ambustus, ne potentia inimicorum videretur oppressus testibus non elevatis (Val. M. VIII, 5, 1. Cic. pro Font. 7, 8) At Laelium in consulatu petendo a Scipione commendatum a Pompeio simulata amicitia per coitionem deiectum constat (Pigh. II, 482. Ellendt. Br. XXVII), ut ab eius amicitia Laelii nomine se removeret Scipio (Cic. de amic. 21.) Consul et proconsul 141 et 140 Pompeius cum pacis conditionibus repudiatis a Terimantinis et Numantinis compluribus cladibus fractus esset, pace icta ignominiosa Romae quidquam transactum negavit 139, quamvis contra tendentibus Numantinorum legatis et Romanis testibus multis et gravibus senatorum, tribunorum militum, ceterorum (App.

p. 506 — 510. Pigh. II, 488), ut iure audiat in foedere Numantino infitiando callide improbus (Cic. de fin, II, 17.). Itaque cum homines novis muneribus acceptis perraro nova induant ingenia, recte cogereamus, hanc censuram maioribus ingeniorum quam morum viribus fuisse suffultam, nisi regimen totius prope magistratus sciremus penes Metellum fuisse. Sed nec huiusmodi gravitas nobilitatem ad temperantiam traduxit, nec utriusque, vera si coniectura assequimur, popularis ratio statum censurae servavit incommutabilem. Primum enim tunc uterque ex plebe censor est factus (Liv. epit. 59.), quam moris usitati neglectionem nescio an optimi, qui dicuntur, condonaverint plebeculae, ne Gracchana caede in odium ipsorum effereretur execrabile. Quamquam vulnera a Scipione Nasica et Popillio Laenate reipublicae imposita nunquam consanuisse videbantur, et usque recrudescabant (Cf. c. II extr. et c. VII).

Quid igitur fecere illi censores? Festus loco iam saepius citato: Q. Pompei, inquit, et Q. Caecili Metelli Macedonici censura lectus senatus, ad summum senatores amoti sunt tres, et eo lumine, qui aliorum offunderent claritatem. Quibus verbis non prius licet disquisitioni fundamentum substruere, quam aurificis quasi statera sint ponderata. Sed ultima vix Latinitas ferat (Cf. c. antecedens extr.) Ad summum senatores amoti sunt tres. Quae cuiusmodi sunt, in paucis tamen unus tam fuit improbus, ut censuram plaga pestifera affligeret. Quippe C. Attinius Labeo, trib. pl., Q. Metellum censorem, a quo in senatu legendo praetertitus erat, de saxo deiici inssit, quod ne fieret, ceteri tribuni plebis (?) auxilio fuerunt (Liv. epit. 59.) Quem casum Macedonici vulgo felicitatis habiti vehementer conqueritur Plin. hist. nat. VII, 45 (44), nullam esse felicitatem solidam declarans. Ab C. Attinio Labeone, cui cognomen fuit Macerioni, revertens Metellus e Campo meridiano tempore, vacuo foro et Capitolio, ad Tarpeium est raptus, et ita quidem per mediam urbem obtorto collo in Capitolium tractus, ut sanguis per nares (Pigh. coni. pro auribus) proflueret, atque una hac mora interposita ab ipso mortis lumine revocatus. tarde tribuno, qui intercederet, reperto. Tribunum autem illum Harduinus (v. notam in Franziana) censet tribunum fuisse militum, qui Metellum peteret, veluti eo cive egeret, quem militem pro suo iure conscriberet, integro nihilo minus tribuni pl. iudicio de bonis Metelli, quae consecravit foculo posito in rostris adhibitoque tibicine. Plin. Cic. pro domo c. 47. Iracundia nondum satiata Attinius legem pertulit, ut tribuni senatores essent (Gell. XIV, 8. Pigh. III, 20),

ergo effectus statim rediit in senatum. Quocirca censuræ propemodum profligatae quasi direptum est patrimonium dignitatis, apparetque, summum magistratum suapte amplitudine corruisse. Ignominia notare scelestos poterant debebantque, notatorum malevolentiam furoresque comprimendi denegata erat potestas. Nec mirum. Censura enim in pudentissima est constituta civitate, qua quibus infamiae sordes erant allatae, vel corripiebantur illi, vel abiiciebantur, et nixa est magis auctoritate quam vi imperandi, auctoritate tamen in vetustate incredibili quadam. Sed morum labe sensim increbescente iam antea nonnunquam ulciscendi quam ad sanitatem redeundi facilior visa est ratio (v. c. II. de Claudio Asello). Tunc his notis maximae turbæ sunt concitatae, quæ annis triginta post labefecerunt rempubl. Quanta censuræ ipsi infuerit imbecillitas, erit manifestum, cum Cic. pro Cluent. c. 42. et 43. perpenderit. Qui illud commune proponit, nunquam animadversionibus censoriis Romanam civitatem ita contentam ut rebus iudicatis fuisse. — Si illud iudicium, pergit, putaretur, hominibus ignominia notatis neque ad honorem aditum, neque in curiam reditum futurum fuisse. — In omnibus legibus, quibus exceptum esset, de quibus causis aut magistratum capere non liceret, aut iudicem legi, aut alterum accusare, hanc ignominiae causam praetermissam esse. — Non solum populi Romani suffragiis saepenumero censorias subscriptiones esse deletas, verum etiam iudiciis eorum, qui iurati statuere maiore cum religione deberent. Iudices in compluribus iam reis censorum opinioni non paruisse. Praetores urbanos in selectos iudices retulisse notatos. Censores ipsos superiorum censorum iudiciis saepe non stetisse; alterum alterius iudicium reprehendisse et rescidisse. Quæ omnia sunt fixa et rata, multisque possunt exemplis probari. Cicero ipse duo affert singularia, C. Getam, cum a L. Metello et Cn. Domitio censoribus (115) ex senatu eiectus esset, censorem ipsum postea esse factum 108, (cui rei ad stipulatur Val. Max. II, 9, 9), tum quos Cn. Lentulus et L. Gellius furti et captarum pecuniarum nomine notavissent, eos non modo in senatum rediisse, sed etiam illarum ipsarum rerum iudiciis absolutos esse. Cicero intelligit Iunianos. Addamus alios, Scipionem et Mummiū de Asello dissidentes, qui postea tribunus pl. Africanum lacessivit, hunc, de quo diximus, Attinium Labonem, C. Antonium Hybridam, Ciceronis collegam, senatu motum 70, quod socios diripuisset, vadimonium non stitisset et propter aes alienum fundos vendidisset, mox receptum ut Iunianos illos (Drum. I, 533), P. Lentulum Suram

Catiliarium, 70 iam consularem, qui 63 iterum praeturam gessit, ut dignitatem senatoriam recuperaret (Drum. II, 530). Longum est enumerare omnes, qui nota censoria adpersi mox in senatum rursus irreperint, qui nec muneribus sint depulsi, et ad ampliora etiam promoti. Ac ne quis hanc esse aetatis maculam arbitretur, non legitimam censurae infirmitatem, duo subiungamus exempla temporum castiorum insignia. M. Val. Messalla, 154 censoria nota perstrictus, censoria postmodum potestate imperavit (Val. Max. II, 9, 9). L. Caecilius Metellus, qui quaestor a censoribus P. Furio et M. Atilio 214 propter coniurationem deserendae Italiae Cannensem equo adempto tribu motus aerariusque factus erat, mox tribunus plebis censoribus ad populum diem dixit. Quid igitur mirandum, censors, cum non deessent officio, saepius capitis discrimen adisse. Atque illis quidem temporibus sanctis facile confugerunt in aram legum. Novem enim tribunorum auxilio Furius et Atilius vetiti causam in magistratu dicere dimissique sunt (Liv. XXIV, 18, 43). Sed moribus inflexis censoribus raro contigit fortioribus, ut inimicorum exasperatorum similitates effugerent, ut Antonius orator, ambitus reus, Duronium, tribunum notatum (Drum. I, 62. Ellendt. Brut.) Cn. Lentuli contra bona sunt a tribuno consecrata (Cic. pro dom. 47). Metelli vero Numidici notam adeo a collega frustratam quae seditiones sunt consecutae! (App. de bell. civil. p. 624 — 628. Drum. II, 38). A Servilio Glaucia et L. Appuleio Saturnino tribuniciis, (fuerant tribuni 104 et 102), quos propter vitae dedecora 104 senatu movere conatus erat, quorum tamen alter tribunus reffectus, alter praetor creatus erat, 100 conspiratione facta cum Equitio quodam seu Graccho insitivo censu prohibito Metellus, priscae sanctimoniae homo, civitatis facile princeps, solum vertere coactus est tantis procellis, ut tota respublica convelleretur, omniumque magistratum vis prosterneretur. Nec satis. Anno insequenti Furius, tribunus truculentus, non ingenue patre natus, sed liberto, item a Metello 101 notatus, audacter resistebat senatui populoque Romano, post necem Glauciae et Saturnini, ut Metellus revocaretur, efflagitantibus, etiam Metellum filium supplicem in conspectu populi ad genua sibi provolutum adspersus, donec a C. Canuleio, alio tribuno plebis, reus capitis actus et a multitudine furenti ne defensione quidem exspectata discerptus est (App. p. 629). Ita omnia fuere mixta et perturbata. Iam altius hominum animos coniectantibus procul dubio patebit, notas censorias, sola existimatione contentas, nulla coercendi vi praeditas, anti-

quis quidem temporibus, quibus omnia pudore et honestate regerentur, mores etiam divina quadam auctoritate corroborare et emendare, his vero turbinibus et fluctibus, quibus patriae pestes vix armis et suppliciis a republica depellerentur, ad iustitiam et moderationem conservandam inutiles ne ipsos quidem veteris disciplinae magistros in tuto collocare potuisse. Sic morum censura, ornamentis suis orbata, praesidiis destituta, periculis impendentibus perterrefacta, post annum 70. paulatim obsolescere et ad nihilum recidere, ut, quandoquidem viri indole et gratia florentes hunc magistratum non appetebant, in tanta literarum copia censorum inter annos 65 et 50 interiectorum ne de nominibus quidem conveniat, ut Cic. de rep. IV, 6, ergo anno 54 a. Ch. n., censoris iudicium dicat nihil ferme damnato nisi ruborem afferre, et Dio Cassius adiciat, neminem prudentem hoc tempore censuram ambiisse, ne aut notandis civibus in odium, aut notis praetereundis in populi reprehensionem incurreret.

De oratione, quam Metellus quidam de maritandis ordinibus et prole augenda dicitur habuisse ad populum censor, quam Augustus in senatu ut suam recitavit, ut antiqui ita recentiores in diversas a eunt partes. Ellentius de Brut. p. LX cum Gellio tribuit Numaidico, Sigon., Pigh. et Drum. II, 20 huic Macedonico causis non excussis. Si vero respexerimas ad Macedonici coniugem castam foecundamque, ut censor quatuor filiis adultis et duabus floreret filiabus, ut hanc ob causam fortunatus celebraretur, credendus erit is fuisse apertissimus, qui cives ad coniugia compelleret. Quamquam quae illius orationis verba apud Gell. I, 6. sunt residua, confugere potius ad necessitatem quandam et sola emolumenta, non matrimonii sanctitatem felicitatemque extollere confitendum est.

C. V. A. 126. Q. Fabium Max. Servilianum et L. Caecilium Metellum Calvum fuisse censores, sed aliqua de causa abdicasse, scriptores recentiores conspirant, nec iniuria. Unde liquet, cur ad res temperandas magnum non attulerint momentum. Sed videntur etiam mediocritatem quandam non excessisse. De Calvo quidem, Macedonici fratre, quod dicamus, nihil habemus aliud, quam eum contra Pompeium, repetundarum reum 138, nequidquam exortum esse testem acerrimum (v. c. IV. de Pomp. Cf. Drum. II, 36). Q. Fabium Maximum consulem et proconsulem a 142. et 141. cum Viriatho ancipiti Marte dimicasse, victum tandem esse summa rerum, complures narrat historici, eius mores vituperantes. Molestissimus est Orosius, qui l. V, 4.

maxima ira incitatus Servilianum quingentis scribit principibus Hispanorum, quos societate invitatos deditiois iure suscepisset, manus praecidisse. Appianus, hoc loco rebus uberrimus, ut nusquam hic videtur esse perturbatus, ut, quid sit verum, diiudicandi vix copia detur. Quare, cum Appianus alioquin sit satis prudens rerum gestarum pronunciator, scribarum menda Appianique errores separare non ausim, praesertim Tollii editione sola instructus, aliis adiumentis nudus. Appianus ergo cum (p. 492. et 493.) Fabii Max. Aemiliani, a. 145. consulis, a. 144 procons., facinora duarum expeditionum explicaverit eique Quintium imperatorem subiecerit, p. 494. media Quintio succedere narrat Aemiliani fratrem, Fab. Max. Aemilianum, quem p. 496 quater nuncupat Servilianum, ut iam e temporum computatione de Serviliano, non de Aemiliano, esse sermonem inductum appareat, cum praesertim illud foedum factum ab Orosio increpatum nonnullis mutatis huic videatur allinere, ex decem captivorum millibus quingentos securi percussos, reliquos venditos. Sequitur locus istis importune assutus. Nam Servilianum secundo imperii anno Romam profectum traditur Q. Pompeius, Auli fil., excepisse, cum tamen certissimum sit, Pompeium Macedonico successisse, idque in citeriore provincia Tarraconensi ipso App. auctore p. 506. (Cf. c. IV.), Servilianum ulteriorem Baeticam et Lusitaniam tenuisse. Tum rursus deflectit scriptor ad Max. Aemilianum, narratque de manibus captivorum amputatis et de Erisane haud prospere oppugnata p. 497., ut pax cum Viriatho componenda esset, quam pacem huius Aemiliani frater et successor Caepio irritam fecisset 498. Quasi vero Aemilianus imperium ab anno 145. usque ad annum 140, qui annus est Q. Servilii Caepionis consulis, continuare potuerit. Quodsi cum his Liv. epit. 53. et 54 contenderimus, duos reperiemus fuisse Q. Fabios proconsules temporibus et rebus omnibus direntos, Aemilianum et Servilianum, et si apud Livium legerimus, secundum Fabium rebus prospere gestis labem imposuisse pace cum Viriatho aequis conditionibus facta, de clade Romanis ad Erisanen illata necesse est cogitemus deque foedere inde facto, ut totus locus inde a p. 494. usque ad p. 498. (illud etiam de manibus amputatis) putandus sit esse scriptus de Serviliano, non de Aemiliano. Sed iam nos in gyrum rerum propositarum cogamus, redeamusque ad mores Serviliani describendos. Utut rem versamus, saevae crudelitatis macula elui nequit. Ne vero aegre ferre videamur virtutes principum in alto loco collocatorum, obtreccationi obnoxiorum, mi-

tissima quaequae de iis iudicia in rebus dubiis consecrati huc trahamus Iul. Frontini strategem. lib. IV, 1, 42. et Val. Max. II, 7, 11, qui perfugas tantum mutilatos contendunt. Ita et Serviliani noxam extenuamus, et Aemilianum culpa liberamus, obsistimusque tum aliis, tum ei, qui hoc saeculo Argentorati Val. Max. edidit atque indice addito de Fabio Serviliano censore: Cave, inquit, cum viris doctis huc referas II, 7, 1; ibi enim de Fabio Aemiliano sermo est. Idem paulo ante de Fabio Aemiliano ad istum locum huic vindicandum Vell. II, 5, 3. affert, qui locus revera in Aemilianum cadit, sed laudat tantum, nec singulare severitatis factum, contra totam disciplinam patris a filio adscitam militibus exercitatis laboribusque duratis, id quod Appianus etiam p. 492 et 493 Aemiliano tribuit vero. Omnibus igitur conclusis restat, ut Q. Fabius Maximus Servilianus rebus accisis saevitiaque commaculatis ex Hispania reverterit. Hunc Val. Max. VI, 1, 5 scribit honoribus, quos splendidissime gessisset, censurae gravitate consummatis exegisse poenas a filio dubiae castitatis, et Pigh. III, 71 adiicit, intercedentibus amicis non multo post reconciliatum esse filio, quod verecundus patris iram vitavisset.

C. VI. A. 125. censores L. Cassius Longinus Ravilla et Cn. Servilius Caepio. Qui viri post censurae cladem ab Attimo acceptam, si qui alii, fuere digni, qui auctoritatem magistratus infractam restituerent et res exulceratas sanarent. De L. Cassio ingeniose disputat Drumannus II, 113 — 115, reconditis ille literis et multo acumine errores inveteratos dispellere ausus, secundo tamen tomo excellentior, primo, cum Ciceronis inconstantiae et venditioni sit fere infestior quam Antonii nequitiae et temeritati, veritate nondum ad liquidum explorata, Sed haec coargui nisi opere vasto non possunt. Hic nobis duabus Drumanni pagg. connixis licet defungi. L. igitur Cassius Long. Ravilla animo intrepido ac constanti idemque acrimonia et iustitia fuit celebratus, ut auctor ad Heren. IV, 35. exemplum severi iudicis positurus Cassium poneret, ut populus Romanus illum verissimum et sapientissimum iudicem putaret (Cic. pro Roscio Am. 30.), ut rei illum quaesitorem et iudicem horrerent, atque Ciceronis temporibus Cassianorum iudicum nomen ipsum reformidarent (Cf. cum orat. pro Rosc. Am. in Verr. act. I, 10.), ut eius „cui bono?“ (Pro Rosc. Am., pro Mil. 12, in Ant. II, 14 etc.) et Cassiani iudices in proverbium abirent, et Cassii tribunal scopulus reorum nominaretur (Val. Max. III, 7, 9. Cf. VI, 8, 1), ut denique Cicero eum describeret hominem non liberalitate, ut alios, sed

ipsa tristitia et severitate popularem (Brut. 25.) Qua laude quae effingi potest exaggeratio? Quapropter cum vestales virgines incesti accusatae et a pontificibus excepta Aemilia absolutae essent, Cassius iam consularis et censorius a. 113. a senatu populi iussu extra ordinem quaesitor dictus Antonium oratorem cognitione severissime exercita (v. Val. supra) incolumem dimisit, alios vero ac Marciam et Liciniam a Crasso defensam condemnavit (v. Drum.) nimio, ut nonnullis est visum, rigore. Quibus moribus cum Cassius iam praetor inclamaverit, non possumus, quia credamus, eum in lege tabellaria de iudiciis publicis ferenda paucis annis ante 137 sola aequitate ductum esse. Quam legem ita reprobamus, ut homunciones nostra aetate in Anglia similes leges tabellarias ferentes repudiemus. At in republ. Romana tunc contra principum impotentiam aliud populo refugium fuisse nullum dilucide demonstrat Cicero, vehementissimus harum legum insectator. Qui ceteris legibus tabellariis acerbissime vexatis Cassium etsi verecundans dissidentem quidem dicit a bonis atque omnium runculos populares ratione aucupantem (de leg. III, 16.), sed capite proximo priore aperit nobis irae suae causam verbis: auctoritatem omnem optimatum tabellariam legem abstulisse, et optime Cassio patrocinatur pergens: hanc populus liber nunquam desideravit, idem oppressus dominatu et potentia principum flagitavit. Quae verba prope invito videntur excidisse. Cautiorem se praebet pro Sext. c. 48. Huc accedit, quod Scipio ipse Africanus, nobilitatis superbae acerrimus propugnator (v. c. II.), de sententia deduxit Brisonem, tribunum pl., diu Cassii legi resistantem, tametsi apud proceres haec res Africano fuit vituperationi (Brut. 25.). Hinc de leg. III, 16. Scipio legis Cassiae culpam sustinere eoque auctore lata esse fertur. Ante consulatum Cic. de hac lege Cassia aequius iudicavit, in Cornel. I. fragmento commendans ut principium iustissimae libertatis, qua lege suffragiorum vis potestasque convaluisset. Adhuc consul in Rullum II, 2. tacitam libertatis vindicem dicit tabellam, idque nulla necessitate compulsus mentione per occasionem injecta (Cf. c. VII. de Scauro). Ista igitur lege tabellaria L. Cassio magna decus accessit, id quod declarant Longinorum denarii cum titulo et effigii libertatis. V. Pigh. II, 497. Non runcorem quandam et plausum popularem a Cassio esse quaesitum, etiam hac re auguror, quod iam tribunus moribus illis austeris est cognitus, quibus tota vita fuit insignis. Namque M. Aemilius Porcina, tunc consul, ab eo nimis sublime extractae villae crimine accusatus et gravi multa

populi iudicio affectus est (Val. Max. VIII, 1.) Etiam alia lex Cassia Cassii iam senis populi iudicia firmavit (Cic. Cornel. I. fragm.), optimatesque impotentes repressit (Ernest. clav. p. 11.) Itaque Cassius auctoritatem perpetuo vitae tenore partam rumorum et concionum ventis collectis nunquam elevavit, nec partem aliquam velut abruptam a cetero populo peculiarem sibi fecit reipublicam, sed universam civitatem amplexus, quod arbitratus est ius fasque, de eo dimoveri non potuit. Cassius ergo, iuris severi et aequarum legum cultor, natus et factus videtur esse ad succurrendum egregiae disciplinae usquequaque labanti, praesertim cum nactus sit pristinae frontis collegam. Quippe Cn Servilius Caepio ita quidem ut Cassius fama nominis non exsplenduit, sed e narrationum vestigiis quibusdam eum conicere licet collegae haud absimilem fuisse. Eo cum Q. Pompeio 141 consule T. Manlius Torquatus filium Silanum, a Macedonibus repetundarum insimulatum, domi causa cognita condemnavit, ac ne funeri quidem eius, cum suspensio vitam finisset, interfuit. (Liv. epit. 54. Cf. Val. Max. V, 8, 3, qui copiosius rem tractat, Cic. de fin. I, 7 et Sigon.) Quod quin auctoritate Caepionis consulis factum sit, patrem religiosum ex consulis sententia de re iudicaturum sperantis, vix dubitari potest. Sed nutent haec, eo magis, quod Pigh. II, 483 a Sigon. discedens anno insequenti haec attribuit. Tamen in consulatu Caepionis aliud reperimus senatus populique Romani de futuro censore praeiudicium. Nam cum L. Tubulus praetor quaestionem inter sicarios exercens pecunias ob rem iudicandam cepisset, anno proximo P. Scaevola, tribuno plebis, ferente plebiscito quaestio a senatu decreta est consuli Caepioni (Cic. de fin. II, 16, 54. V, 22. ad Att. XII, 5.) Profectus in exilium statim Tubulus, nec respondere ausus re sperta. De fin. IV, 28 condemnatum Cic. dicit Tubulum, quia, ni fallor, qui certam damnationem praevertere cupit, ipse ultro se damnat. In Q. Pompeium acre testimonium dixit (Cf. c. IV.) Iam qui improbos voluerit compesci, talique existimatione apud senatum populumque Rom. vigerit, eum recte colligimus esse hominem gravem et bene moratum.

En par virorum vere censoriorum, qui disciplinae inflexae possint esse veri emendatores, fidem iustitia et fortitudine omniumque virtutum cumulo aucti, iidem gratia senatus populique pollentes. Hi morum sanctitatem decusque revocabunt novisque praesidiis firmabunt. Quid igitur faciunt? C. Gracchum, cum desertae provinciae Sardiniae causam 124 apud hos censores dixisset, ab-

salvunt, quod iudicium talem habet vim, ut huius rei culpam in senatum reiiciat. Quid porro faciunt? Vell. II, 10. respondet. Persequamur, inquit, notam severitatem (Cludius: prosequamur notae) censorum Cassii Longini Caepionisque, qui M. Lepidum Aemilium augurem, quod sex millibus HS aedes conduxisset, adesse iusserunt. Nihilne praeterea de talium censura virorum, tot tantisque ceteroquin testimoniis oratorum? De censura nihil. At hocne luxuriam refranare? hoc malorum fontes obstruere et semina extinguere? An potuere censores talia moliri totamque rempublicam novis institutis moderari in novamque formam commutare, ut quasi recens quidam civitatis spiritus revivisceret? Illa vis in iis sita est magistratibus, in quibus legum promulgandarum est potestas, sita ergo fuit in consulatu et tribunatu plebis, non in censura. Cuius magistratus robur cum aliis, tum hoc remedio retusum libertati quidem nunquam potuit esse formidolosum, neque vero his tempestatibus temperandis atque a luxu turpitudineque ingruente ad simplicitatem honestatemque traducendis fuit accommodatum. Excusemus igitur censores non omnes partes rei-publicae putres consiliis suis amplexantes, modo sint ipsi civibus virtutum specula.

C. VII. Sed ne fines huic libello destinatos nimis transgrediamur, duabus censuris annorum 120. et 115. sane gravibus omissis addamus adhuc M. Aemilii Scauri et M. Livii Drusi a. 109. censuram, quia haec illustrata maxime est idonea ad ea firmanda, quae supra de Scipione diximus, ergo ad totam aetatem illam rerum Romanarum recte aestimandam. Minus vero negotium nobis facessit Drusus, senatus in tribunatu patronus, cuius de moribus concinunt pauca, quae reperiuntur, indicia. Plutarcho enim vir est claro loco natus, ingenio, eloquentia, divitiis valde pollens, Ciceroni in Brut. 28. oratione et auctoritate gravis. Quod autem Pigh. III, 82. hunc Drusum aedilem plebis magnificentissimum munus populo dedisse et elatum et ambitiosum in collegam quandam Gracchanae factionis atrociter invecum esse dicit citato de viris illustr. c. 66, id ad Drusum minorem natu pertinet. Quae in ceteris magistratibus gessit, nec indolem adumbrant, et nota sunt. Tota igitur disputatio ad Scaurum redit. De quo, homine clarissimo, ne longi sumus, v. praeter Sigon. et Pigh. nostrates Ellendtium p. XLVI et Drum. I, 26, etc. Eius merita pro pensare subdificile est in iudiciis antiquorum diversissimis et prorsus contrariis. Etenim Valerio M. V, 4 in filium inbellem severus est lumen ac decus patriae. Auctor de vir. illust. c. 72. Scaurum testatur aedilem curulem magis

